



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Collegiis Canonicorum Per Germaniam, Belgivm,
Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasque Orbis Christiani
Prouincias, Liber Singvlaris**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1615

Sancti Martini Et Sanctae Dimpnae collegium, in Gela municipio
Brabantiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11227

SANCTI MARTINI ET SANCTÆ

Dimpnæ collegium, in Gela municipio Bra-
bantia.

SANCTA Dimpnæ Virgo & Martyr, pro-
pter fidem & amorem castitatis decolla-
ta est à proprio genitore, Rege Pagano. Cùm
enim pater, regina defuncta, nouam quæreret
eiusdem pulchritudinis vxorem, monetur à
militibus, vt filiam suam accipiat; matri suæ
adeò consimilem, vt in eius imagine mortua
reuiuiscere videatur. Quod detestabile faci-
nus cùm pater vi perficere vellet, illa quasi
obtemperatura quadraginta dierum inducias
petijt, & interim consultore Gereberno, eximiæ
sanctitatis & doctrinæ sacerdote, qui ipsam
pridem occultè baptizauerat; & ipsi ac matri
Eucharistiæ sacramentum porrigere consue-
uerat, cum ipso & patris iaculatore, eiusque
cōiuge, per mare peruenit ad Castrum, quod
Antuerpia dicitur. Inde autem ad villam per-
rexerunt, cui nomen *Gele* est antiquitus im-
positum, quæ tūc temporis raro inhabitatore
excolebatur, quia erant in ea nonnisi quinde-
cim domus, eaque nemorum densitate ferè
per sex milliaria circumseptæ. Inuenerunt
autem in ea vnicam S. Martini Ecclesiam, in
qua Gerebernus Missas celebrabat. Itaque in
Zammale, non longè ab ea Ecclesia, habitacu-
lum sibi construxerunt, in quo tribus mensi-
bus

M

bus

bus ieiunijs & orationibus vacantes, vitam quodammodo angelicam ducebant. Interea Rex per fugam filiæ turbatus, nauî Antuerpiâ venit, & inde quaquauerfum legatos mittit. Quidam autem peruenerunt ad villam rurem Nesterloo, & cùm hospiti expensas soluerent, ait ille, se nummos habere confimiles, quorum pretium prorsus ignoraret. Et interrogatus vnde eos haberet, respondit à virgine Hiberna, quæ propè in deserto habitat cum venerando sene sacerdote, quæ pro emendis alimentis id genus nummos mittit. Hac occasione pater ad eam iter arripuit. Quam primû libidinis igne accensus, suauiter affatus est. Sed pro ea respondens Gerebernus, patrem de abominatione redarguit. Filiam ne vnquam consentiret est adhortatus. Tum verò omnes in eum tanquam fugæ auctorem & filiæ euerforem irruerunt: & exagitatus iniurijs, vitæ cursum capite cæsus compleuit. Rex autem iterum acriùs instabat, vt filia illi acquiesceret. Sed cum Christum vnicum amatorem se offendere nolle, aliaque multa constanter responderet, pater furore incensus, iussit eam decollari; & cùm nullus tam crudele facinus vellet exsequi, ne Regis postea fortassis dolituri iram incurreret, ipsemet regalis nobilitatis & clementiæ oblitus, gladio, quo fuerat accinctus, sacrum caput virginis amputauit. Et relicta sunt corpora
bestijs

bestijs terræ deuoranda; quæ postea à quibusdam iuxta habitantibus in specu sunt condita. Post multa verò annorum curricula, ob stupendam signorum exhibitionē, clerus & populus eorum corpora quæsiuerunt, eaque in duobus sarcophagis niue candidioribus repererunt. Quod opus Angelorum, vt Sancto-
rū castitas significaretur, esse it cognouerunt; cum non essent in regione illa nisi petrae fuligine nigrantes. Sic ferè Molanus in natalibus Sanctorum Belgij.

Est autem Beca populosum Campiniæ municipium, secundo lapide ab Herentalia Brabantia opido situm: in quo loco hodieque sacrum Beatæ Dimpnæ corpus adseruatur à Canonicorum collegio. De ea vide Martyrologium Romanum.

CAPVT XCV.

SANCTI HADELINI COLLEGIVM

Visetense diœcesis Leodiensis ad Mosam

Fluuium.

SHAdelinus confessor, Aquitaniæ territorio ortus, in tenera ætate semper confortio senū interesse cupiebat. Inde relinquēs terram & cognationem suam, venit *Stabuletū* vbi magisterio vsus est S. Remacli Epif. Tūgrensis. Adeoq; fuit sanctitate & miraculorū gloria celebris, vt Eccl. Cellensis fratribus in valle ad Letiā fl. habitantib. multa prædia sint

M 2 collata,